

nitatis, in plurali non raro de semetipso locutus est *Gen. I. 26. III*
22. Esa. VI. 8. &c. vel etiam ipse *Christus* eadem ratione, vel re-
 latione, locutus est in plurali *Job. III. 2.* (3) neq; per consuetam
anallagen, videl. *numeri*, scripturis satis familiarem, ut *Marc.*
IV. 30. ubi *Jesus* dicebat: *Cui rei assimilabimus regnum DEI, aut*
sui parabola comparabimus illud? Hoc enim *Spiritus S.* in loco
 parallelo *Luc. XIII. 18.* per singularem numerum expressit: *Dis*
cebat ergo: Cui simile est regnum DEI, & cui simile estimabo illud.
Conf. Matt. XIII. 31. licet *B. Glasf. in Grammat. Sac. p. 395.* ita
 tuat, quod insit dictæ loquelæ, in plurali formata, *Marc. IV. 30.*
καρρημιώδης quippiam, & quædam *καρρημιώδης* ad *Auditores*,
 q. d. *cui, quæso, rei, Auditores, assimilabimus regnum DEI.* (4)
 neq; respicit h. l. *suum honorem & excellentiam*, prout *Judei, So-*
siniani, cum aliis hoc, in dictis *biblicis* detorquendis, *Deo, Christo*
stodq; solent affingere: nam h. l. *Christus* summam suam *humili-*
tatem demonstrare, seq; coram ministro suo, cum hujus etiam
 admiratione, vel obstupescatione, humiliare volebat, non igi-
 tur *plurari* numero suam *excellenciam* manifestare, vel, ipso ser-
 monis pomposo genere, suum *honorem* amplificare contendebat:
 & quomodo *turgido* sermone *honorem* suum quærere studuisset,
 qui *tota vita, tota conversatione* sua, *omni sermone* suo, nihil nisi
humilitatis studium sectatus est, & alios etiam ad *humilitatis* stu-
 dium invitavit *Matt. XI. 29.* *Discite à me, quia mitis sum, & hu-*
milis corde. (5) neq; respicit hic *pluralis* numerus *homines*, vel in
universum, vel etiam *spectatores & auditores* præsentis, utpote
 quibus tale quid minime convenire poterat, quod h. l. *Christus*
 attendebat, vid. *Maldonatus ad h. l.* (6) Sed potius respicit, &
 includit hic *pluralis* numerus *Christum, & Johannem*, non in sta-
 tu equali, sed inaequali, non per modum *causarum sociarum*, sed
subordinatarum, adeoq; conjunctio hæc fit non per *coordinatio-*
nem, sed per *causalem subordinationem*, unde hoc opus tribuitur
Christo primario, Johanni secundario, Christo principaliter, Jo-
hanni minus principaliter, Christo magisterialiter, Johanni mini-
sterialiter, Christo effectivè, Johanni organicè, Christo ratione
rei, Johanni ratione modi, Christo meritorie, Johanni testifica-
toris